

prolatâ, & tam quoad ipsum principale, quam accessoria executioni mandatâ, tunc liberum est parti victæ intentare petitorium coram judice Ecclesiastico, si possessorem fuerit in materia Ecclesiastica ad forum Ecclesiasticum spectante.

XXXIV. Si tamen ab ipsa sententia in possessorio lata sit appellatum, appellatione pendente super possessorio, petitorium intentari nequit: quia ipsum possessorium necdum vocaliter censetur evacuatum, sive absolutum; uti notat Rebuffus in Tract. de Causis Benef. possess. art. 12. n. 3. & Wamelsius noster Conf. Can. 82. & notoria praxis consonat.

XXXV. Solum quidem iudices Regii in Gallia, uti & in his partibus, de possessorio in materia Ecclesiastica judicant, quemadmodum observat Rebuffus de Sentent. execut. art. 1. Gloss. 11. non tamen solum iudices supremi, sed & subalterni, sive à quibus ad supremam Curiam appellatur; ut sunt in Belgio Concilia Provincialia, puta Flandriæ, Namurcense, &c. à quibus ad Parlamentum Mechliniense à sententia super pleno possessorio in materia Ecclesiastica quotidie appellatur, eaque appellatione pendente, petitorium manet in suspensio.

XXXVI. Porro petitorio intentato, & coram judice Ecclesiastico pendente, effectus sententiæ latæ in pleno possessorio non sistitur; nec is, cui possessorium adjudicatum est, in sua possessione quoquo modo turbari potest prætextu intentati petitorii, quamdiu ipsum petitorium coram judice Ecclesiastico plene evacuatum & absolutum non est. Non censetur autem petitorium esse plene adjudicatum, nisi per tres sententias conformes fuerit judicatum; si nimirum toties fuerit appellatum.

XXXVII. Mirum proinde videri non debet, quod raro in Beneficialibus aliisque Ecclesiasticis causis intentetur petitorium coram judice Ecclesiastico, postquam plenum possessorium in Curia Regia fuit adjudicatum; quia scitur, lætissime tantam temporis moram requiri, ut verisimilius ipse finis vitæ præveniret ipsum finem litis.

XXXVIII. Accedit, quod cum hodie in causis possessorii examinentur & discutiantur plenarie omnes tituli, quibus ipsa possessio innitur; non sine fundamento credatur, quod & in possessorio succumbet, qui in pleno possessorio victus fuit. Quare refert Fevretius de Abusu lib. 4. c. 1. n. 6. aliquando in Parlamentis Galliæ judicatum fuisse abusivam citationem in petitorio post absolutum & adjudicatum plenum possessorium; quasi injustum & inordinatum esset, rursus titulos examinare coram judice Ecclesiastico, qui ad plenum in Regio Senatu discussi fuere; atque per intentatum petitorium, ipsas materias, præsertim Beneficiales, durante vitâ Beneficiati, æternizare. Nihilominus ipse Fevretius fateri debet, & juxta jus commune, & ipsas Regias Ordinationes petitorium posse coram judice Ecclesiastico, evacuato possessorio, intentari. Quod & ipsa Concordata Brabantia tit. 4. art. 1. expressè permittunt; optantque à Principe tempus terminandarum litium super possessorio statui, ut questio petitoria citius instetur & terminari valeat. Videri etiam potest Torneus in sua Collectione Arætorum lib. P. art. 138. 140. & 147. atque hoc ultimo articulo indicat, aliquando inhibuit, intentari petitorium post absolutum plenum possessorium; quin & ibidem notat, anno 1613. Parlamentum sibi attraxisse causam ejusdam Presbyteri, qui coram judice Ecclesiastico litigabat pro obtinenda portione congrua, eique per provisionem aliquam portionem assignasse; quia ob frequentes appellationes, & difformes à variis iudicibus latas sententias, nihil obtinere à judice Ecclesiastico poterat; quo fiebat, ut Ecclesia interim viduata à suo ministro maneret.

XXXIX. Videtur indicare Philippus Probus ad Sanct. Pragmat. tit. De Electionibus, Cap. LICET §. SUPER OMNIBUS, quod suo tempore cognitio de possessore Beneficialibus competeret iudicibus Regiis non privative, sed cumulative cum Ecclesiasticis. Sed hic rursus certò auctoritas jura cum Regiorum crevit, ipsaque possessoria non cumulative, sed privative ad ipsos transferunt. Unde ad citata verba Philippi Probi notavit in margine Franciscus Pinf.

nus: "Itad non servatur circa possessoria litium cognitionem iudicibus secularibus competentem etiam privative." Quod & Concordata Brabantia, saltem quoad possessorium retinenda & recuperanda præscribunt, referuntque privative ipsis iudicibus secularibus hujus possessoria cognitionem.

XL. Reservant quidem hæc Concordata interdictum adipiscenda possessionis iudici Ecclesiastico; sed tamen id non impedit, quò minus omnes passim quaestiones in materia Beneficiali titulo possessori ad Regia Tribunalia deferantur; nam mox ut collatio Beneficii habetur, si possessio realis haberi nequeat, capitur possessio, quam juris vocant, coram Notario; quam ut sufficientem ad fundandum possessorem retinenda possessionis Concilia Regia recipiunt, notat Zypæus tit. De Causa poss. & propriet. num. 2.

XLI. Quamvis enim reipsa hodie iudices Regii de omnipene quaestione in materia Ecclesiastica cognoscant non tantum de possessorio, sed & de petitorio; ut tamen pristinis formulis insistere videantur, solumque possessorium, quod facti est, sibi attribuere, nunquam de petitorio aut jure ipso pronuntiant; sed tantum super possessorio, declarando, hunc illumve esse manutendum in sua possessione; sive litteras manutentia rectè vel malè obtentas.

XLII. Ut enim quaestio in materia spirituali seu Ecclesiastica ad Tribunal Regium deferatur, peti solet manutentia, quæ est "quædam provisio, imò verius quoddam Principis vel Concilii sui, beneficium, quo aliquem pacificum possessorem, metuentem tamen ex ea ejici, aut exturbari, in eadem sua quietâ possessione tenet, servat, & quasi manutentendo suâ auctoritate tuetur."

XLIII. Ita Damheuderus in Praxi Rerum Civilium cap. 4. n. 1. additque n. 2. quod quamvis hoc vocabulum sit recens, tamen aptum sit ad significandum, "quod possessor in possessione sua per Principem manutentatur, & in ea permanere jubeatur, cum interdictione omnium, qui ad hanc quietam possessionem contradicere velint, & id donec per justitiam alius potius jus habens inseratur, manutentus iterum ejiciatur."

Unde si exteriorem formam manutentia, ipsamque litterarum manutentia tenorem dumtaxat consideremus, diceretur, iudices Regios de nuda facti possessione cognoscere, ac id unice præcavere ne pacificus possessor vi facti inquietetur: licet plus reipsa sibi attribuunt.

XLIV. Quare & hodie duo pro obtinendis litteris manutentia requiruntur. Primum possessio, de qua saltem summarie apparere debet, quemadmodum in ipsis litteris manutentia expressè etiam exprimitur; præscribiturque in Ordinationibus Curia Brabantia art. 438. quod qui anno uno fuit extra possessionem, manutentiam habere nequeat.

XLV. Secundò requiritur turbatio facti, quæ generaliter fit per quemcumque actum, quo quis non sinit liberè & quietè res nostras possidere, ut ait Rebuffus in Tract. De Materia possess. art. 1. Gloss. 2. num. 36. ubi & plures modos turbationis enumerat, atque num. 39. quod quis tenetur exprimere modum & qualitatem turbationis, nisi ex actis appareat.

XLVI. Verùm quia qualiscumque possessio etiam juris, necnon qualiscumque turbatio facile admittitur, ut litteræ manutentia concedantur; fit, ut omnes passim causæ Ecclesiasticæ titulo manutentia sive possessori ad Tribunalia Regia trahantur, ipsaque Tribunalia Ecclesiastica iis priventur.

XLVII. Et quod mirum est, passim ipsimet Ecclesiastici amant, quin & omnem operam impendunt, causas suas Beneficiales aliasque Ecclesiasticas apud Regia Tribunalia potius, quam apud Ecclesiastica examinari, & judicari; quod ex hodierna forma procedendi in foro Ecclesiastico, magna ex parte provenire indubitatum est.

XLVIII. Juxta hodiernum enim procedendi & litigandi morem & stylum in iudiciis Ecclesiasticis servari solum, quique ab aliis quot sæculis irreplet, nemo nescit, penè citius expectandum esse liti-

litigantibus finem vitæ, quam finem litium, plusque & diutius tumultibus & jurgis forensibus implicandis litigantibus coram judice Ecclesiastico, quam Regio. Ut non dicam, quòd ordinariè de capacitate Officialium iudicis Ecclesiasticis præsentium non ea sit opinio & persuasio in causis, præsertim arduis discutiendis, quæ habetur de Senatibus Regiis: quorum & in iudicando integritas sæpe partibus est magis perspecta, quam ipsorum Officialium: quemadmodum in progressu Operis, ubi & forma iudiciorum, & appellationum frequentia, item de Officialibus singillatim tractabitur, latius ostendetur.

XLIX. Indubiè dolendum est, causas Ecclesiasticas, ipsaque quaestiones & difficultates inter Ecclesiasticos exorientes passim ad laicalia Tribunalia deferri, ipsosque laicos constitui iudices & arbitros harum controversiarum; & qui à Sacerdotibus iudicari & instrui deberent, ipsos Sacerdotes instruere & iudicare debeant, & eorum quaestiones decidere: ut merito Ecclesiasticis hodie dici queat, quod Christiani ad iudicia Gentilium confugiuntibus exprobrabat Apostolus: Sic non est inter vos Sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum.

L. Et quamvis nemo non dubitet, id in non exiguum dedecus Ecclesiæ & opprobrium Cleri cedere, spes tamen exigua id emendandi asfulget, nisi ille forensis litigandi modus & dilationum & appellationum frequentia è iudiciis Ecclesiasticis tollatur. Unde Episcopis & iudicibus Ecclesiasticis querentibus suam jurisdictionem diminui, imò quasi totaliter aboleri, non immeritò dicitur, quod ad Eugenium Papam scripsit S. Bernardus lib. 1. De Consid. c. 10. "Agitentur causæ, sed sicut oportet. Nam is modum qui frequentatur, execrabilis planè, & qui non dico Ecclesiam,

sed nec forum deceret. Miror namque, quemadmodum religiosæ aures tuæ audire sustinent huiusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quam ad inventionem proficiunt veritatis. Corrige pravum morem. Nihil ita absque labore manifestam facit veritatem, ut brevis & pura narratio."

LI. Interim dum hæc iudiciorum Ecclesiasticorum emendatio haberi non potest, Episcopi tenentur, quantum possibile est, intendere, ut lites & controversias more antiquo & ad mentem Apostoli & Ecclesiæ, præsertim inter Clericos super Beneficiis aliisque materiis Ecclesiasticis sine forensi strepitu componant; seque ita in omnibus gerere, ut Clerici eam de ipsorum integritate, & in iudicando æquitate concipiant fiduciam, ut libenter quaestiones ipsorum iudicio & arbitrio decidendas subjiciant, exemplo S. Caroli, de quo scilicet Auctor vitæ ejus lib. 7. c. 7. "De lites est memotabile, Notarii Scribisque fori Caroli tempore accidisse, ut peritiam earum litium, quæ de Beneficiis tam frequentes alibi inter Clericos esse solent, penè disciderent. Nulla enim eo vivente lis erat ejusmodi. Vocatus quisque, nihil agitans, ne cogitans ferè quidem, Beneficium accipiebat, sine controversia retinebat, sine auctoritate sui antistitis non dimittebat aut permutabat.

Ut hoc ubique per suam Provinciam obtineret, in Concilio VI. Mediolanensi statuit: "Antequam lites, reive alicujus iudicium constituatur, studeant omni æquitatis officio, paternoque consilio lites dirimere, controversias sedare, & transactionibus litigantes reconciliare, &c. Sin autem id assequi non poterunt, id saltem curent, ut lites brevius, quam in foro laicali moris est, definiantur."

TITULUS III. De Jurisdictione Criminali.

CAPUT I.

Quæ jam pridem fuerit auctoritas iudicis Ecclesiastici in puniendis delictis Clericorum.

ne cognoscatur & puniatur iudici Ecclesiastico privative delata.

- 1 Auctoritatem vindicandi crimina Magistratibus Civilibus detulit Apostolus.
- 2 Imperatores correctionem eorum, qua contra religionem & disciplinam Ecclesiasticam committuntur, permiserunt iudici Ecclesiastico.
- 3 Constitutio Valentini Imp. delictorum huiusmodi correctionem Episcopis asserens.
- 4 Sensum huius Constitutionis exponit S. Ambrosius.
- 5 Delicta civilia Clericorum iudicibus publicis in hac Constitutione reservata.
- 6 Eadem delictorum distinctionem asserunt Imp. Arcadius & Honorius.
- 7 Eadem occurrit in Constitutione sub nomine Valentini Junioris & Theodosii.
- 8 Hinc videtur divisio delictorum in Ecclesiastica & communia, qua hic describuntur.
- 9 Ecclesiastica Ecclesiastico, communia Civili iudici delata.
- 10 An hac distinctio per Honorium Imp. aliquando fuerit sublata?
- 11 Certum est, Justinianum Imp. eà distinctione usum esse.
- 12 Non vult tamen Clericum capitaliter puniri à iudice Civili, nisi ab Episcopo ex auctoritate.
- 13 Constitutio Justiniani in compendium contracta.
- 14 Posteriore suâ Constitutione cavet Justinianus, Clericum à iudice seculari non damnandum nisi probante Episcopo.
- 15 Id conforme Canonibus sub id tempus editis.
- 16 Sensum omnium delictorum Clericorum sine distinctione

- 17 Id supponunt Capitularia Regum Francorum.
- 18 Ratio huius disciplina assignatur.
- 19 In recentioribus legibus nulla prædicta distinctionis delictorum mentio.
- 20 Saeculo II. etiam crimen futuri à Clerico commissum iudici Ecclesiastico reservatum.
- 21 Articulus Henrici II. Regis Angliæ, quo volebat laicos de aliquibus delictis Clericorum cognoscere, reprobatus.
- 22 In Gallia quoque indistinctè crimina Clericorum iudici Ecclesiastico deferebantur.
- 23 Ob hanc disciplinam Gratianus videtur truncasse legem sub nomine Valentini & Theodosii publicatam.
- 24 Immunitatem Clericorum in criminalibus generaliter expressit Fredericus Imp.
- 25 His consonat jus Decretalium.
- 26 De iure Decretali Clericus de crimine assassinatus convictus videtur à solo iudice Ecclesiastico iudicandus.
- 27 Clericus coram iudice seculari falsum deponens, de iure debet iudicari in foro Ecclesiastico.
- 28 Synodus Tridentina causas criminales tamquam majores Episcopis reservat.
- 29 Non tamen excluditur Officialis.

Publicam auctoritatem vindicandi crimina esse penes Magistratus civiles, quibus jus gladii est, clarissime docuit Apostolus in Epistola ad Romanos cap. 13. ubi de Potestate sublimiori ait: Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram eius, qui malum agit. Sensus est: "Gladium gerat, sive Potestas, sive Princeps tamquam Dei minister, à quo gladium accepit, ut sit vindex in iram, id est, ut ejus vice, ac nomine justitiam exerceat vindicativam in punien-

dis iis, qui malum agunt, vel pacem publicam turbantes, vel honestatem vitæ communis lædentes. Ad hoc enim instituta est potestas *secularis*, ut & pacem publicam conservet, & vitæ communis honestatem tueatur. Ita Ektius in hunc Apostoli textum.

II. Verum sicuti Ecclesiæ atque religionis curam crediderunt Principes Christiani ipsis Episcopis tamquam præcipuis ejus ministris, & Apostolorum successoribus, ita quoque ipsis correctionem eorum, quæ Ecclesiasticam & religionem, ejusque disciplinam spectant, ipsis detulerunt; præsertim tamen si quid, quod hanc turbaret, à Clericis seu inferioribus Ecclesiæ ministris fieri contingeret.

III. Extat hæc de re Constitutio Gratiani & Valentini Senioris Imp. de an. 376. in L. 23. Cod. Theod. de Episcopis & Clericis: "Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis Ecclesiasticis obtinendus est: ut si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam pertinentia, locis suis, & à sua Diœceseos Synodis audiantur: exceptis, quæ actio criminalis ab Ordinariis extraordinariisque Judicibus, aut illustribus potestatibus audientia constituit.

Nequaquam obscurum est, Ecclesiasticis Synodis, sive conventibus deferri correctionem delictorum, quæ contra Ecclesiasticam disciplinam, aut religionem committuntur: si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad religionis observantiam spectantia.

IV. Id voluisse Valentianum, indicat quoque S. Ambrosius, de hac Lege ad Valentianum Juniores scribens epist. 13. "Nec quisquam contumacè judicare me debet, cum hoc asseram, quod Augustæ memoræ pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam Legibus suis sanxit: in causa fidei vel Ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; hæc enim verba rescripti sunt: hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare, quin etiam si aliis quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hæc voluit ad Episcopales judicium pertinere."

V. Sed quid de civilibus delictis Clericorum, quæ ipsam Reipublicæ tranquillitatem turbant, & cum publicis communia sunt? Hæc judicibus publicis detulisse videtur his verbis: "Exceptis his, quæ actio criminalis ab ordinariis, extraordinariisque judicibus aut illustribus potestatibus audientia constituit." Hic pro audientia legendum esse, audienda, rectè notasse videtur Jacobus Gothofredus: ut sensus sit, ea excipienda esse, quæ actio criminalis efficit, ut ab ordinariis vel extraordinariis judicibus, aut illustribus potestatibus audientia sint.

VI. Quæ distinctione etiam Imperatores Arcadius & Honorius anno 399. uti videntur in L. 1. Cod. Theod. De Religione, dicentes: "Quoties de Religione agitur, Episcopos oportet judicare: cæteras verò causas, quæ ad ordinarios cognitores, vel ad usum publici juris pertinent, Legibus oportet audiri."

VII. Levia ergo seu religionem ac morum sanctitatem lædencia Clericorum delicta & causas ad Episcopale judicium spectare voluere prædicti Imperatores; publica autem, quæ regimen ac politiam Reipublicæ concernunt, eamque nata sunt perturbare, publicis judicibus reservant: quod & probat L. 3. Cod. Theod. De Episcopali jud. quæ Imperatoribus Valentiano, Theodosio, & Arcadio inscribitur, ubi decernitur, "nomen Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ne ad judicia sive ordinariorum, sive extraordinariorum judicium pertrahatur: habent illi judices suos, nec quisquam (vel potius quidquam) his publicis cum commune legibus, quantum (inquunt) ad causas tamen Ecclesiasticas pertinent, quas decet Episcopali auctoritate decidi."

Additur & in eadem Lege, quod si quæstio mota fuerit, quæ ad Christianam pertinet sanctitatem, tunc eos decet sub eo iudice litigare, qui Præsul est in suis partibus omnium Sacerdotum. Quidquid verò negotiorum aliunde incidet, id ipse Præsul Provinciæ terminabit.

VIII. Ex his ergo legibus deduxerunt Doctores, duo genera delictorum in Clericis esse distinguenda; ut nimirum alia sint delicta Ecclesiastica, alia verò communia. Piora dici illa, quæ committuntur propriè contra disciplinam Ecclesiasticam, & ordinem sive statum Ecclesiasticum; quæque pœnis Canonici, purè ex auctoritate, vel communionis privationis, aut Ordinis suspensione castigantur. Hæc Ecclesiastica merito vocantur, quia ab Ecclesiasticis ut Ecclesiasticis committuntur.

Communia dicunt, quæ jure communi & publicis Legibus vindicantur, nec propriè contra Ecclesiasticam disciplinam, sed contra regimen politicum perpetrantur; quæque Clerici non ut Ecclesiastici, sed ut Reipublicæ cives committunt; Nam ut rectè Card. Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 18. Clerici præterquam quod Clerici sunt, etiam cives & partes reipublicæ."

IX. Quæ ergo Ecclesiastica erant, Episcopis vindicanda permittebantur; quæ verò communia, etiam communibus & ordinariis judicibus deferrebantur: idque exemplo militum, quorum crimina sive admittit, quia aut propria, aut cum aliis communia, etiam & persecutio aut propria, aut communis est, ut ait Jurisconsultus in L. 2. ff. De Re militari.

X. Credunt nonnulli, esse delictorum distinctionem quoad immunitatem Clericorum à judicio seculari subla à per Honorii Imp. Constitutionem an. 412. relata in L. 4. Cod. Theod. De Episc. & Clericis, quæ decernit indefinitè: "Clericos non nisi apud Episcopos accusari convenit." Deinde additur: "Igitur si Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, & quicumque inferioris loci, Christianæ legis Minister, apud Episcopum, siquidem alibi non oportet, à quolibet persona fuerint accusati, sive sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis intentionis arripit, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre."

Verum non obstante hæc indefinita expressione credit Jacobus Gothofredus in notis ad hanc legem post Merlotum in tractatu De Delicto communi & privilegio, Honorium non recessisse ab Antecessorum suorum Constitutionibus, tantumque de Ecclesiasticis delictis loquutum esse; quod ex ipsis verbis legis ostendero conatur Gothofredus.

XI. Quidquid sit, certum est, Justinianum Imperat. eam rursus delictorum differentiam observasse in Novella 83. ubi in præfatione §. 2. ait: "Si tamen (Clerici) de criminibus conveniantur, si quidem civilibus, hic quidem competentes judices, in Provinciis autem earum Præsides sive judices, &c. Deinde cap. 1. subdit: "Si verò Ecclesiasticum sit delictum, egens castigatione Ecclesiasticâ & multâ, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil communicantibus clarissimis Provinciæ judicibus. Neque enim volumus talia negotia omnimò scire civiles judices: cum oporteat talia Ecclesiasticè examinari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam multam secundum sacras & divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges."

XII. Dicit quidem in prima parte, ubi de civilibus delictis loquitur: "Illud palam est, si reum esse putaverit eum, qui convenitur, Provinciæ Præsides, & pœnis judicaverit, dignum; prius hunc spoliari à Dei amabili Episcopo Sacerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu." Id enim dumtaxat probat, Justinianum quidem voluisse, Sacerdotes accusari posse de civilibus delictis coram Præside Provinciæ; sed convictum non posse pœna capitali damnari, nisi prius per Episcopum Sacerdotali dignitate spoliatum, quod hodie per solemnem degradationem contingit; de qua infra titulo De Pœnis Ecclesiasticis.

XIII. Hanc Justiniani mentem in hac Constitutione brevi verborum cõpendio expressit Iræzus in Authentica Clericus quoque §. 1. & 2. "Sed in civilis crimine civilis præsul puniatur, etiam si reus sit inventus, priusquam per Episcopum Sacerdotio spoliatur. Si verò etiam sit Ecclesiasticum, Episcopalis erit examinatio & castigatio."

XIV.

XIV. At idem Imperator Justinianus in Novella 123. c. 11. decernit, Ut si quis Clericum aut Monachum vel Monachum de crimine apud iudicem civilem accusaverit, & eridit per legitimam examinationem potuerit approbare, tunc Episcopo locorum gesta monumentorum palam faciat, & si ex his agnoscat, proposita crimina commisisse eum, tunc ipse Episcopus hunc secundum regulas ab honore sive gradu quem habet, separet; iudex autem ultionem ei inferat legibus congruentem. Si verò Episcopus putaverit gesta non justè confecta, tunc liceat ei deferre, & nudare honore seu gradu accusatam personam; ita tamen ut hujusmodi persona sub legitima cautela fiat, & ita ad nos negotiū tam ab Episcopo quam à iudice referatur, ut nos hoc cognoscetes, quæ nobis videtur, jubeamus.

Noluit ergo Justinianus, Clericum etiam apud iudicem civilem de crimine civili accusatum & convictum condemnari & puniri, nisi Episcopus iudicis sententiam probasset, aut ipsius Principis decisio in casum dissensus causam determinasset.

Ex hac posteriore Justiniani Constitutione satis clarum est, Justinianum causas criminales Clericorum, non tantum in delictis Ecclesiasticis, sed & civilibus sive communibus voluisse ab Episcopo debere approbari, priusquam executioni mandarentur; aut saltem si iudex secularis & Episcopus dissentirent, causam ad Principem esse referendam.

XV. Id consonat Canonibus sæculi 6. qui nolunt Clericos ullam injuriam à iudicibus inferri in scio eorum Episcopo; ut loquitur Synodus Matifconensis II. anno 575. Can. 10. Item Synodus Parisiensis V. Can. 4. dicens: "Ut nullus iudex, cum neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum aut Juniores Ecclesiæ sine scientia Pontificis per se distingat, aut damnare præsumat."

XVI. Sensus autem causas criminales sine criminum distinctione ad iudicem Ecclesiasticum etiam privativè fuisse devolutas, tam Principum, quam Pontificum & Synodorum posteriores sanctiones evincunt; quæ nullâ factâ delictorum distinctione, causas criminales Clericorum, Episcopis, sive iudicibus Ecclesiasticis deferunt.

XVII. Libro 1. Capitulum Regum Franc. c. 38. sancitum est: "Ut Clerici Ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, apud Ecclesiasticos judicentur, non apud seculares." Et lib. 5. c. 378. "Nemo audeat Clericum aut Monachum vel Sanctimonialium fœminam ad civile iudicium accusare sed ad Episcopum."

XXIII. Rursus lib. 7. c. 422. dicitur: Placuit, ut Clerici non distinguantur vel dijudicentur, nisi à propriis Episcopis. Rationem addit: "Fas enim non est, ut divini muneris ministri temporalium Potestatum iussionibus inobedientes extiterint tunc juxta Canonicas Sanctiones per potestates exteras adducantur, id est, per iudices seculares."

XIX. Nihil hic de distinctione delictorum occurrit, sed generaliter Clerici coram iudice laico accusari vetantur; ut nec in Responsis Pontificum, aut Synodorum Decretis, quæ aliquot sequentibus sæculis publicata sunt; at generatim Clericorum accusati coram Episcopo institui, & Clericos eorum sententiâ puniendos seu condemnandos decernitur.

XX. In Constitutionibus, quas anno 1067. Mediolanensibus observandas præscripserunt Legati Alexandri II. legitur: "Integram quoque habeat Episcopus in omnem suum Clerum canonicè iudicandi ac distinguendi potestatem; tam in civitate quam extra, per omnes Plebes & Capellas; ut dum Clerici fuerint à seculari iudicii infestatione securi in divina servitute & Canonum auctoritate consistant quieti, & Archiepiscopo suo obediant devoti."

XXI. Inter consuetudines, quas Henricus II. Rex Angliæ ab Episcopis tempore S. Thomæ Cantuariensis observari, & juramento firmari volebat, erat hic articulus 3. Clerici citati & accusati de quacumque re, moniti à justitia Regis, venient in curiam ipsius, responsuri ibidem de hoc, unde videbitur curiæ Regis, quod sit ibi respondendum. Ita quod justitia Regis mittet in curiam sanctæ Ecclesiæ ad

videndum, qua ratione res ibi tractabitur: et si Clericus convictus vel confessus fuerit, non debet de cætero eum Ecclesiæ tueri, Tomo 10. Concil. col. 1431.

Hunc articulum tamquam immunitati Clericali contrarium damnavit Alexander III. scripsitque ad ipsum Regem Henricum epist. 10. "Sicuti Clerici à viris secularibus vitæ, & habitu distinguuntur, ita & judicia Clericorum à laicorum judiciis diversa penitus comprobantur. Monetque ut negotia Ecclesiastica & præcipuè criminalia personis Ecclesiasticis tractanda relinquat.

XXII. Circa idem tempus legitur contentio inter Ecclesiæ Rothomagensis, & Wilhelmum Normanniæ Senescallum, præsentibus Baronibus composita hoc inter alios articulo: "Imprimis determinatum est de Clericis, quod nisi à occasione à secularibus potestatibus capiuntur, nisi pro homicidio, furto, & incendio, vel hujusmodi enormi flagitio, quod ad placitum gladii pertineat, & tunc cum requisiti fuerint ab Ecclesiasticis iudicibus, quieti reddentur, in Ecclesiastica curia iudicandi."

XXIII. Itaque eo tempore generaliter invaluerat, ut de crimine etiam civili in Curia Ecclesiastica Clerici iudicarentur. Unde Gratianus noster sub hæc tempora Decretum suum conficiens, & ad sui temporis disciplinam respiciens, referentque fragmentum citatæ legis 3. Cod. Theod. De Episcopali iudicio, quo asseritur immunitas Clericorum, caus. 1. 1. q. 1. Can. 5. clausulam illam, quantum tamen ad causas Ecclesiasticas omisit, hunc constando Canonem: "Continua lege sancimus ut nullus Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus serviunt, ad judicia sive ordinariorum, sive extraordinariorum iudicium pertrahatur. Habent illi suos iudices, nec quidquam his publicis est commune cum legibus."

XXIV. Hanc immunitatem ita generatim ad omnia crimina extensam etiam confirmavit Fredericus Imp. in Authent. STATUIMUS, Cod. de Episcopis, quæ statuit, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel civili trahere ad iudicem secularem præsumat contra constitutiones Imperiales, & Canonicas sanctiones. Quod si actor fecerit, à suo jure cedat, iudicatum non teneat, & iudex ex tunc potestate iudicandi privetur."

Ad eam Frederici Constitutionem rectè notat Dionysius Gothofredus, hæc constitutione abrogatam fuisse constitutionem Justiniani, quæ super delicto civili Clericum coram iudice civili conveniri volebat.

XXV. Hæc conformes sunt Decretales, quæ hodie jure commune Canonicum constituunt, generalem immunitatem sive privilegium fori Clericis de quocumque crimine res vindicantes.

Et quidem ex litteris Innocentii III. ad Archiepiscopum Pisanum refertur in c. 12. De Foro comp. Tam Episcopi, quam Diaconi, seu quilibet Clerici, in criminali negotio, si delicto Ecclesiastico iudicio, publicis iudicibus se purgare voluerint, etiam si pro eis sit lata sententia, locum suum amittant."

XXVI. Imò adeo extensum est hoc fori privilegium in causis criminalibus ex communi Canonistarum sententia, ut nec de crimine assassinatus contra Clericum cognoscere posse iudicem laicum sustineant; neque à iudice laico ob hujusmodi crimen puniri, nisi prius à iudice Ecclesiastico condemnatus sit, & declaratus ut talis; quantum vis in detestationem istius criminis in c. 1. De homicidio in VI. decernatur, quod Prælati seu quævis alia persona Ecclesiastica hoc crimen committens, depositionis à dignitate, honore, ordine, officio & Beneficio incurrat sententiam ipso facto, & postquam probabilibus constitit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia sententia depositionis adversus eum requiratur. Videri possunt notata ad c. 96. practicæ criminalis Lopez De Salsedo.

XXVII. Videri quoque poterit apud eundem c. 93. n. 2. ex communi Canonistarum opinione, inspecto jure communi Clerici, qui falsum testimoniū dixit coram iudice seculari, per eum tamè puniri non posse, neque principaliter, nec incidenter.

Quin